

Ait **LOCASTES**: Scitote quòd creatura Mundi, ex duobus densis, & duobus raris creatà est. & nihil densorum sublimi inest creaturæ. Ideoque & Sole, & omnibus inferioribus est creaturis rarior.

Inquit **PYTHAGORAS**: Dico Deum ante omnia fuisse: & cum solus esset, quatuor creavit numero simplicia, quæ sunt quatuor elementa, eiusdem essentia, id est, materia, diuersarum tamen formarum, hoc est, qualitatum simplicium, quæ ad inuicem conuertuntur, è quibus iam creatis, omnia deinceps creavit, tam sublimium quàm inferiorum, eò quòd oportuit creaturas ex radice quadam extrahi, à qua multiplicarentur ad inhabitandum mundo. Ideo ante omnia Deus quatuor creavit elementa, ex quibus postea quod voluit, creavit, diuersas scilicet naturas, quarum quasdam ex vno creavit.

Ait **TURBA**: Quæ sunt illa magister, quæ Deus sublimis ex vno creavit?

Et ille: Sunt Angeli, quos Deus ex igne creavit.

Et **TURBA**: Quæ sunt creata ex duobus?

Et ille: Creata sunt ex duobus, Sol, Luna & Stelle, nempe ex aere & igne. Ideo sunt Angeli, Sole & Luna & stellis lucidiores, eò quòd ex vno singulari, quod est quartum & omnium rarissimum, creati sunt: Sol verò, Luna & stellæ, ex ignis & aeris composito creati sunt.

Inquit **TURBA**: Et cœli creatio vnde?

Et ille: Creavit Deus cœlum ex aqua & aere, ita cœlum quoque ex duobus est compositum, ex altero rariorum scilicet aere, & altero densorum, scilicet aqua.

Et illi: Magister perage dicta tua, & ediffere de tribus.

Et ille: Ex tribus elementis Deus creavit volatilia, bruta animalia, ac vegetabilia, scilicet ex aere, aqua & terra.

TURBA autem ait: Discerne hæc Magister.

Et ille: Quædam creatà sunt ex aere, & terra: quædam verò ex igne, aere, & terra. De proximo, exemplo sunt volatilia, & omnia spiritum habentia, de primo verò sunt exemplo, vegetabilia. Omnia verò bruta ex terra, aere & igne sunt: vegetabilia autem ex aqua, terra & aere, nihilque habent commune cum igne.